UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

XXXII. Markgraf Ludwig stellt einen Geleitsbrief für die Beschiffung der Oder aus, am 18. October 1329.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55756

Visual Library

omni prorſus precaria atque Seruicio quouis reali et perſonali, facta reſignacione debita dictorum manſorum per Janekinum et Vlmannum dictos baldack, fratres, qui ſuper octo fruſta ſua, que habent in villa Loſſowe, ſunt vnius Seruicium dextrarii arbitrati in locum illius ſeruicii, quod ſuper dictos Duodecim manſos primitus habebamus. In cuius rei teſtimonium noſtrum ſigillum de certa noſtra ſciencia preſentibus eſt appenſum. Preſentibus Honorabili viro domino Segero, prepoſito ſtendalienſi, Hinrico de Stegeliz, Dobizlao de Ekſtede, Hermanno de loſſowe, wernero de arneborch et Hinrico de Sydowe, militibus, atque Hermanno de luchowe, cum aliis de noſtra familia fidedignis. Datum Soldin, Anno domini M° CCC° XX° octauo, feria ſecunda poſt Dominicam Eſto mihi.

Nach dem Orig. des Stadtarchives, Clieſtow No. 2 und 3.

XXXII. Markgraf Ludwig ſtellt einen Geleitsbrief für die Beſchiffung der Oder aus, am 18. October 1329.

Lodouicus, dei gracia Brandenburgenſis et Luſacie Marchio, Comes Palatinus Reni, Dux Bawarie, Sacri Imperii archicamerarius, Vniuerſis, ad quos peruenerit preſens Scriptum, Salutem cum Sincero affectu. Principum proprietas eſt, vtilitati prouidere publice, vt priuatorum Salus et commodum augeatur. Hinc igitur eſt, quod, communi bono omnium moti, dedimus et damus Securitatem firmam, Sinceram et omnimodam pre omnibus pro noſtro mandato et voluntate facere Seu dimittere volentibus vniuerſis et Singulis cuiuſcumque ſtatus vel condicionis hominibus ducentibus mercimonia in Odera per aſcenſus alueum dicte aque vel deſcenſus, Volentes tales fore Securos corporibus atque rebus, Mandantes omnibus noſtro mandato obnoxiis et Supplicantes ceteris, vt hiis noſtram Securitatem conceſſam nullatenus contrario conamine commaculent vel diſturbent, Si noſtre indignacionis et iracundie voluerint aculeos euitare. In cuius noſtri Ducatus firmitatem et robur preſentes dari iuſſimus noſtri Sigilli robore communitas abſque prefinicione temporis valituras. Datum Leuenwold, Anno domini M° CCC° XX° nono, die Sancti Luce Ewangeliſte.

Nach dem Orig. des Stadtarchives VIII, 2, 52 und 53.